

cipit dicens¹: 'Morticinum et captum a bestia non comedetis; nam et apostolus cum de idolotheitis loqueretur, hoc est de illis qui idolis immolantur ait²: 'Si quis infidelium vocat vos ad cenam et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam' et alibi³: 'Omne quod venit in macello manducantes, nihil interrogantes propter conscientiam⁴'. Quibus verbis omne⁵ ostendit, quod ex fide et cum gratiarum actione percipitur, bonum esse et nequaquam reum facere comedentem, exulante duntaxat concupiscentia et desiderio gulae, quae sola delicti causa est et origo. Unde et apostolus⁶: 'Carnis', inquit, 'curam ne feceritis in desideriis'. Et beatus pater Augustinus⁷ ait: 'Non ego obsonii immundiciam, sed immunditiam cupiditatis⁸'. Denique Adam primus parens hominum in paradiso non carnem, sed pomum vetitum comedens, reprobatus est et in huius mundi exilio detrusus; Helias vero⁹ in deserto carnes comedit¹⁰, nec tamen deum offendit, quia necessitate, non concupiscentia fecit. Quantum itaque ad naturam, quae bona est, licet¹¹ uti his, sed non expedit consuetudine prohibente. Si enim viderem aliquem hęc vel alia comedentem, quę consuetudo respuit, execrerer, refugerem pariterque vescentem et quo vesceretur contaminatum abhominatumque clamarem. Sit ergo in nobis scientia, qua noverimus, omnia esse bona, sit caritas qua multorum consuetudini condescendamus usuque cedamus. Haec sane non ita scribo, quasi meam insolenter velim sententiam defendere, cum potius saniori paratus sim intellectui cedere, et si evidens rectius inspiraverit illi palmam dare, eiusque me cupiam magisterio libentissime subdere. Si enim nihil boni ex bonis habemus, nihil in nostris inventionibus, nisi quod veritas prescribit, amare debemus. Nunc vestram, domine mi desiderantissime et totis diligende precordiis, obsecro maiestatem, ut quia precepto vestro, non ignarus proprie mediocritatis, parere studui, consulatis necessitati meę, exoneretis¹² verecundiam, detis veniam ignorantiae, faveatis devocioni; fatebor certe nostram miseriam, nec pudor mihi obstat. Cotidie nos hostis armis circumtonat, continua rerum nos adterunt dispendia, famis quoque inaudita penuria per omnem nostram crassatur regionem. His et aliis innumeris pro peccatis nostris adtriti calamitatibus, oramus, ut manum largissimam ad nos usque dignemini extendere. Hoc siquidem meritis vestris condecet et nomini ac gloriae vestrae non parum proficiet, sed et nos in æternum et fidelissimos servos et devotos oratores vobis acquirat.

1) Lev. 17, 15. 2) 1 Cor. 10, 27. 3) 1 Cor. 10, 25. 4) 'et alibi — conscientiam' am unteren Rande von andrer Hand. 5) 'omē' Hs. 6) Rom. 13, 14. 7) 'Et — Augustinus' auf Rasur. 8) Hier fehlt in der Hs. das Zeitwort, ohne dass eine Lücke wäre. 9) 'vero' von andrer Hand. 10) Vgl. 3 Reg. 17, 6. 11) 'licet' von andrer Hand. 12) Corrigiert aus 'exoneratis' Hs.